



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LVII. Miserere mei Deus, miserere mei: &c. Carm. gen. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Orbiter mundi, nec illos
 Præcipites agis in ruinam?
 Meæ labores tu numeras fugæ:
 Vrna repostas tu lacrymas meas
 Seruas: apud te certa constat
 Vsq; mei ratio doloris.
 Aurem uocanti tu facilem mihi
 Das, atq; inanes spes facis hostium:
 Et signa non obscura amici
 Das animi, & stabilis fauoris.
 Te fretus uno, pollicitis tuis
 Innixus unis, nil metuum dolos
 Mortalium cæcos, minasq;
 Terrificas & aperta bella.
 Te semper ergo carmine patrio
 Laudabo, uitæ præsidium meæ:
 Ex hostium ferro dolisq;
 Incolumis tibi uota reddam.
 Te liberatus uindice, te meum
 Firmante gressum, ne titubent pedes,
 Dum spiritus fouebit artus,
 Iussa sequar tua, rector orbis.

PSAL. LVII. *Miserere mei Deus, misere-*
re mei: &c. *Carm. gen. 2.*

SAncte parës miserere animæ pereütis, & om-
 In te salutis quæ locauit spë luæ: (nem
 Meq; tuis alis tectum defende, procellæ
 Dum sæuientis impetus deferueat.
 Te uoco, te solum in rebus quod restat egenis
 Appello, supplex & tuam imploro fidem.

Te

Te uoco, quicumulata mihi promissa refun-
des,

Et cœpta duces prosperos ad exitus:

Qui mihi subsidium è cœlo præbebis, & hostis
Iamiam imminentis liberabis faucibus.

Qui dabis auxiliũ ex adyto sublimis Olympi,
Memorq; fidei & pristinæ clementiæ.

Inter enim sæuos habito feritate leones:

Flammam uomentes uersor inter belluas,

Lingua quibus sæuo proscindit acutius ense,
Dentes sagittis, lanceæq; cuspede.

O Deus augustum celso caput exere cœlo:
Ostende terris gloriæ iubar tuæ.

Explicuere meis pedibus sua retia: terra

Me sæuus hostis penitus afflictum premit.

Et scrobibus fossis iter obsedere: sed ipsi
Mihi paratas in scrobes cæci ruent.

Mens infracta malis, animi uigor integer, orbis
Te uoce rector, te celebrabit lyra.

Eia age depositis mens expergiscere curis,
Et tu canora barbytos cum nablijs.

Ocyus auroræ quàm Lucifer excitet ignes,

Aurora cantus quàm uolucrum exuscitet,

Te pater alme canam : populos tua facta per
omnes

Quacunq; tellus panditur, uates feram.

Nam tua siderei bonitas fastigia cœli,

Fidesq; tractus nubium superuolat.

O Deus augustum nitido caput exere cœlo:

Ostende terris gloriæ iubar tuæ.

PSAL.